

32 FRAA. PETRARCH.

est studiosorum choris Reipub. liber, cuius magnificentiam & ipsius Ciceronis, & aliorum testimonio, excerptaque inde particula cōiecturari licet, tantillum nobis vel ad acuendum fortè desiderium, vel ad præsentius conuitium reſeruatum est. Reliquum nescio an nunquam fit recuperatura posteritas. Vnus autem huic viro & studiorum, & vitæ terminus fuit, immergentem sese penitus literarum fontibus, indigna, & in publicum damnosa mors rapuit. De qua locus alter veniet dicendi.

TIRO CICERO.

Obestantem audire mihi videor Tironem, ne cum à tanto segre gem patrono, hic M. Tullij libertus, homo diligentissimus, vt A. Gellius meminit in libro Noctium Atticarum, librorum patroni studiosissimus fuit, eos vigilanter & disponere & emendare solitus. Bonum opus, nisi quod libertini homines cura cumulauerat, ingeniorum torpor effudisset: constat hunc de patroni sui locis libros ædidisse, & quicquid sibi passim memoratu dignum acciderat, accuratissimè colligentem, in vnâ congeriem redigisse, ne qua pars illius eloquij periret.

CRISP.